

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0336

0334

0340

0330

0345

0325

0385

0285


0435

0235

0835

Ende

Anfang



323

Cessante autem causa transmissionis cessare debet possessio et divitiarum collectio. Illa pauci considerant et gravatur ecclesia sine causa inutilibus religionibus, nec est alicui cura de eleemosynis mittendis custodibus sancti sepulchri in Jerusalem, ut et ipsi emolumenta vitae habeant, et sancta loca et ecclesiae Christi manteneantur, ad quod principaliter deceret fidelibus esse cura, cum ibi sint fidei nostrae initia inchoata et sacramenta omnia consummata.

Hae gentes hodie habitant in Jerusalem, quae sequuntur.

Civitas sancta Jerusalem hodie habitatio est diversarum gentium mundi et collectio quodammodo omnium spurcitarum.

I. Sarraceni.

Primi et principales ibi habitantes sunt Sarraceni, Machometistae, faecibus omnium haeresium squalentes, pejores idololatri, abominabiliores Judaeis, negant Trinitatem, infamem [doctrinam] binarum naturarum in divinis ponunt, divinae essentiae naturam introducunt, filium Deum habere non posse dicunt, cum careat uxore, sed dicunt, Deum non esse substantiam, cum non habeat accidens, vel Deum non vivere, quia non comedit. Deum cum Angelis dicunt orare pro Machomet et pro aliis Sarracenis. Verbi incarnationem negant et Christum nec Deum, nec consubstantialem patri profitentur, sed tantum flatum Dei ipsum dicunt; hominem sanctissimum, virtuosissimum supra omnes confitentur, sine patre natum ex Virgine, nec passum nec crucifixum nec mortuum, sed a Deo translatum, in fine mundi moriturum, occiso prius per eum Antichristo. Sacramenta nulla esse dicunt; nec mirum, cum crucem negant. Judicem mundi Christum dicunt, sed cum Deo et Machometo. Gloriosa et magnifica scripta de isto,

21*